

Bibliothèque numérique

medic@

Flambe, Nicolas - candidat / Le Bas,
Jean - président. - [De prolapsu et
compressione funiculi umbilicalis in
partu]

1756.

*Paris : Typis Delaguettes, Regii
Chirurgorum Collegii
Typographi.*

Cote : ms 2342, n°53



D. O. M.
THESES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.



FLEBILIS natura viri, flebilior conditio
feminae, quæ præter malorum compa-
gem mortalium generi necessariè morituro
addictam, non solum graviditatis molestum
cogitur perferre tempus, imò plurimis nec-
non sævis & pertimescendis per sæpè puer-
perii cruciatur laboribus. Cum autem omnes
varias partuum species hîc evolvere non sit animus, & una
præ cæteris in quâ prolapsus & compressus dignoscitur funi-
culus umbilicalis nobis arrideat, id argumenti liceat eligere.

MULIERE impregnata, fit in utero nova partium fabrica
ad puerperii tempus permanens, & hæ sunt fœtus mem-
branæ, placenta, funiculus umbilicalis, liquor deniquè in quo
fœtus innatat: Quæquidem in ovo, coitus tempore sæcun-
dato & ab ovariis per tubas Fallopianas in uterum delapso,
explicantur: ut verò illæ partes propter fœtum considerandæ
veniunt, de his seorsim paucis acturi sumus. Membranâ duplici



involvitur fœtus , exterior crassa , spongiosa , villosa , vasis sanguiferis referta , utero contigua , eique filamentis conjuncta , plurimas in lamellas dividua , Chorion audit. (a).

INTERIOR priore tenuior , lucidior , eique adiuncta , ferè vasorum expers , per-lucidum glutinosumque continens liquorem in quo fluctuat fœtus , vocatur Amnios.

TERTIAM nonnulli addunt , à farciminis figura (b) Allantoïdem dictam , quibusdam in bestiis (c) non verò in homine conspicuam , ad urinam colligendam , præsertim in Vaccis Uracho pervio continuam.

CORPUS spongiosum , cellulare , orbiculare , unius pollicis crassum , novem circitèr latum , vasculis , arteriis scilicèt & venis umbilicalibus mirum in modum divisim intertextum , uteri ut plurimum fundo per partem convexam membranæ tenuissimæ & reticularis Chorion continuæ inter-ventu adherens , in concavâ fœtum continens , vasa majora exponens , funiculo umbilicali originem præbens , placenta seu hepar uterinum nuncupatur.

PARS illa instar funiculi contorta , digiti crassitudine ex duabus arteriis gracilioribus constans , à ramis non rarò iliacis internis aliquandò ab infimâ parte Aortæ prodeuntibus , sursum juxtâ utrumque vesicæ latus ad umbilicum spirali tractu prærepentibus , & ad placentam ubi in infinitos dividuntur ramulos , & ex venâ mulò arteriis Ampliori , ex innumeris in placentâ ramusculis in unum truncum redactis orta , duas inter arterias involuta communi membranâ cellulosa , glutinosa limpidoque humore repletâ , serpente , & per umbilicum fœtus ad ipsius hepar , & indè sanguinem cum succo nutritio in sinum venæ portæ , infundente ; funiculus dicitur umbilicalis.

QUOD attinet ad liquorem blandum & glutinosum fœtum ambientem , ab Amnion secerni videtur.

AD infantis vitam conservandam , ipsamque periculo prohibendam quantus sit funiculi usus patet ex Anatomia ; ideoque tempore partus à compressione quâ vis protegendus , sin minùs

[a] *Anat. d'Heister traduite en François, développement de l'Œuf. p. 287.*

[b] *Dulaurens.*

[c] Hujusce membranæ existentiam licet plures cecinerint , & imprimis hanc celebrent Trans. Philo. fabulosam credimus. Necdham , Graaf. Bildoo quæ voluerint affirmabunt. Munichque hanc à se demonstratam jactaverit , per nos licet , id unum verò ab illis petierimus ut fausta observata fideliter & cautè exhibeant , id menti oculis investigantium certè certius non effugiet.

ob liquoris commercium cum matre (a) vel placentâ interceptum, periculum in morâ.

HUJUSCE prolapsus causæ præcipuæ vel à nimia pendent ipsius longitudine, vel ab infantis situ, sive abdomen ori uteri sit oppositum, sive alia pars, ipsum os non sat obturans, se se offerat, vel à majori aquarum quantitate, quæ protinus erumpendo, protinus extrudit funiculum.

ALIQUANDO visu, semper verò tactu dignoscitur prociduus funiculus, qui si gracilis, flaccidus, frigidus, nec pulsans percipiatur, tùm infantis emortui signum inconcussum; quo in casu infantis expulsio (si tamèn capitis vertex primùm se præbeat) naturæ viribus committenda. si è contrà turgidus, calidus, pulsans deprehendatur, arrectâ mente operi indefinenter insudandum: ideòque, si doloribus ingruentibus, ore uteri satis aperto, fæminâ lucinæ plurimos aliundè promptiusque labores expertâ, capite ritè disposito, funiculus prodeat, tùm ob repulsionis difficultatem, expectandum, & si necessum ut ampliòr pateat via, os coccygis apprimè reprimendum, quod non rarò, puerperâ supinâ reclinatâ, vel in fellâ idoneâ, legitimè succedit; pro tempore, linteo vino imbuto, foveatur funiculus; si tamen diutius insistat caput, ne funiculi compressione, suffocaretur infans, digitorum sinistrae manûs apicibus caput, præsertim dolorum copiâ succedente numerosiori, à pubis ossibus deorsum intestinum rectum versus sensim depellendum, ut sic, quantum fieri possit, ad hoc intestinum & os coccygis descendat, quo tempore, capite repulso, alterâ manu repellendus est funiculus; si verò, quod sæpè accidit, de novo prolabatur, illicò pedibus fœtum promat obstetricans oportet, non secùs ac si aliam partem præter caput & speciatim verticem offerat infans.

QUOTIES ergo ad prolis inversionem & per pedes extractionem se accingere voluerit obstetricans, ea est laudata methodus: muliere ritè collocatâ, dextram manum, butyro innunctam, blandè ad partem infantis ex utero demissam vel ipsius collo oppositam ducit, eamque simul cum capite paulisper removet. ut majùs & liberiùs spatium, intromissâ manu, concedatur: quibus peractis, juxtâ ventrem fœtus profundius sensim & cautè propellit & eam tunc apertam inflexamque in

[a] Et nequis destruat sententiam de sanguinis à matre in fœtum commercio, ob affirmatâ experimentâ quibus probatur non semel inventos fuisse fœtus valetudine perfectâ gaudentes, umbilico planè expertes, ad ea quæ praxis edocet quotidiana recurrimus, quæ nemo probè negaverit. Vide Moriceau, Dionis & alijs &c.

4

uterum ad femur & ad crura infantis demittit, foetus pedes arripere tentat, quod sæpius faustè post recentem aquarum effluxum ob uterum non ita constrictum; si è contrà, præ diuturniori tempore elapso nimium coarctetur uterus, manus tum obstetricantis difficilè recipietur, quæ tamèn ad-usquè cubiti flexuram ut plurimum introduci debet, cum majori obstetricantis molestiâ. Pes apprehensus, providè ex utero protrahendus, ibique alterâ manu, vel, ut quidam volunt, fasciâ retinendus; deindè denuò juxtà partem internam hujusce pedis ad supremam femoris, atque ab hoc femore ad alterum, manum dimittit, indè ad pedem oppositum descendendo (quod attentè observandum si quidem intus gemelli delitescere, & duorum foetuum pedes uno tractu extrahi possent) non sinè utriusque periculo, foras illum educit; jam bini pedes humore lubrico madidi, sicco & calido linteo involvantur, ut deorsum & spirali tractu firmitus attrahi valeat infans, quod facilè perfeceris si pronus ille in ventrem cubet: si verò resupinus, quod inter extrahendum pedem positione facilè deprehendetur, ad ilia protractus ventre & clunibus apprehensis ita convertatur, ut pronus in ventrem jaceat: sin minùs, mentum ipsius, instar unci, ossibus pubis hærebit, & uteri constrictione strangulabitur.

Fœtus sic in ventrem pronus & ad cartilaginem Xiphoidem adductus, ipsius brachia alternis manibus obstetricantis indicibus sunt accersenda; quo factò præcavendum ne collum, ore uteri constricto, huic insistere possit, quapropter manus una ad occiput, in ore foetus altera, caput leniter & concussionibus alternis est liberandum.

Has positiones, DEO JUVANTE, & Præsidente M. JOANNE LE BAS Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur NICOLAUS FLAMBE, Artium Liberalium Magister.

P A R I S I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Lunæ 17^a Maii à sesquisecondâ post meridiem ad septimam. Anno Domini 1756.

PRO ACTU PUBLICO
ET MAGISTERII LAUREA.

Typis DELAGUETTE, Regii Chirurg. Collegii
Typographi. 1756.